...NO
...HOMERICO

...URALIS

...

...UM ORDINI

...ANAE HALENSIS
...NSOCIATAE

...A HONORES
...OS

...

...MBERLAYNE

...

...

...RRAS

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit Otto Kern.

Δήλωι ἐν ἀμφιρύτηι· ἑκάτερθε δὲ κῦμα κελαινὸν
ἐξήιει χέρσονδε λιγυπνόιοις ἀνέμοισιν,
208 *ἠέ σ' ἐνὶ μνηστῆισιν ἀείδω καὶ φιλότητι,*
ὅππως μνωόμενος ἔκιες Ἀζαντίδα κούρην
Ἴσχυ' ἅμ' ἀντιθέωι, Ἐλατιονίδηι εὐίππωι;
ἢ ἅμα Φόρβαντι Τριοπέω γόνωι, ἢ ἅμ' Ἐρευθεῖ;
ἢ ἅμα Λευκίππωι καὶ Λευκίπποιο δάμαρτι
πεζός, ὁ δ' ἵπποισιν; οὐ μὴν Τρίοπός γ' ἐνέλειπεν.
ἢ ὡς τὸ πρῶτον χρηστήριον ἀνθρώποισι
ζητεύων κατὰ γαῖαν ἔβης, ἑκατηβόλ' Ἄπολλον; κτλ.

Appendix.

Cum dissertationem iam perfecissem, mihi in manus venit disputatio A. Kirchhoffii[1]), viri imprimis venerandi quem hoc ipso anno mors nobis eripuit, de Hymnis in Apollinem, in qua de arte rhapsodorum agens hanc divisionem hymnorum amborum quos distinguere vult proposuit.

	Hymni Delii				Hymni Pythii
(I, 1)	vv. 1—13	respondent	ad	(I, 1)	vv. 182—206
(I, 2)	14—18				
(II, 1a)	19—29	„	„	(II, Ia)	207—215
II, 1b	30—164	„	„	(II, 1b)	216—544
II, 1c	165—178	„	„	(II, 1c)	545—546
(II, 2)	179—181				

Vides hanc divisionem fere eandem esse quam meam Hymnorum II et III, nisi quod vv. 179—181 Hymno Delio adiudicat, nec versus 26—28 secludit, nec fragmenti magni Hesiodei aut Hymni Delphinii rationem habet.

Praeterea vv. 14—18 invocationem Latonae intercalarem esse putat a virginium Deliacarum choro cantatam. Qua de

---

[1]) Sitzungsberichte der königlich preussischen Akademie der Wissenschaften zu Berlin, 1893 vol. XLII. Beiträge zur Geschichte der griechischen Rhapsodik von A. Kirchhoff.

quaestione, cum Allenius Sikesiusque similiter iudicaverin iam pagina 10 dixi. Concedit quidem Kirchhoffius versus ill contextum turbare, sed minimam hanc turbationem nequ ullius esse momenti affirmat, dummodo ab altero hymnus, in vocatio ab alteris, hoc est a puellis, cantata sit. De clausuli *χαῖρε* et *καὶ σὺ μεν οὕτω χαῖρε*, de versuum 17 *κεκλιμένη κτλ* et 26 *κλινθεῖσα κτλ.* similitudine, de fabularum diversitat nihil dixit.

Versibus 179—181 alteram, quamquam truncatam, invocationem et in Apollinem quidem, contineri putat, ab eisdem puellis cantatam. Sed talem puellarum cantum heroico metro compositum fuisse nullo modo a me impetrare possum ut credam. Eadem de causa viro summo adsentiri nequeo, cum hymnum Deliacum ad virginum saltationem cantatum esse putat.

Ceterum ita de versuum 22—23 et 144—5 inter se ratione iudicat atque ego, itemque lacunam post v. 29 non post 30 statuit, versum 126 *οὕνεκα τοξοφόρον κτλ.* ex v. 13 repetitum esse arbitratur (cf. p. 14). Quod vero v. 81—82 *ἔμμεναι ἀνθρώπων κτλ.* e prooemio Pythico fluxisse et v. 173 delendum esse putat, non recto iudicare mihi videtur. Denique communem opinionem secutus casu factum esse arbitratur ut hi duo hymni coniuncti in codicibus nostris legantur, nam alterius finem, initium alterius deperdita esse unius archetypi paginae iactura putat.

In altero capite de imitationibus Homericis agitur. Quod caput alio loco publici iuris faciam.

Matris memoriae sacrum.

Index rerum.

De hymni compositione universa praefatio.

Prooemii epici quod Hymnus in Apollinem Homericus vocatur compositio tam obscura est, ut hominum doctorum plurimorum opera, his praecipue duobus saeculis in excutiendo enarrandoque posita, nihildum certi eruerit. Longius est sententias virorum doctorum diversas hic tractare, praesertim cum nomina eorum et argumentationes, priorum apud Baumeisterum, recentiorum qui post Baumeisterum scripserunt in novissimorum editorum praefationibus lector reperiat, e quibus imprimis nominandi sunt Gemollius et Allenius Sikesiusque, par Britannorum. Ego ut fere omnes, et illi longe eruditiores, duce Davido Ruhnkenio, egregio illo Batavo, initium investigandi capiam.

Nam ex eo quo Ruhnkenius Hymnum illum post versum 178 tanquam linea divisit, fere nullus fuit vir doctus qui hymno aut duo aut plura carmina contineri negaret. Immo plerique qui post Ruhnkenium curam in his hymnis edendis posuere, illius exemplo usi, typis duos hymnos totidem sub titulis constituerunt, in Delium alterum, alterum in Pythium Apollinem vocantes, quamquam codices omnes hanc divisionem ignorant. At si quis vel obiter hoc poema perlegerit, non poterit non confiteri Ruhnkenium haud iniuria disiunxisse. Nam ii quoque editores qui, memoria codicum servata, textus condicionem antiquam repetunt (Gemollium et Allenium Sikesiumque dico), non modo contra Ruhnkenii sagacitatem non disputant, sed nulla alia causa eum sequi dubitant, quam quod nesciunt an parum longe processerit.

De hymni igitur compositione disceptaturus, hoc primum pro certo statuam, neminem, qui mente nondum occupata hoc carmen perlegerit, credere posse eundem poetam uno tempore uno in tenore hunc hymnum qui vocatur scripsisse, quippe qui media in oratione clausulam habeat, diversis locis versus iam antea lectos aut repetat aut imitetur, alias aliis in partibus eiusdem fabulae formas praebeat, denique cum in oratione epica adhibenda tum in Homeri versibus imitandis prorsus diversam speciem prae se ferat. Itaque nobis est quaerendum, duo illi hymni Ruhnkeniani quales sint, num uterque eorum integrum et absolutum carmen praestet, qua condicione partes vel rhapsodiae singulae inter se coniunctae sint. Ex iis qui de huius prooemii oratione disceptaverunt longe rectissimam investigandi viam mea quidem sententia Windischius[1]) ingressus est, qui primus quod sciam tertiam magnam partem, inde a versu 388 incipientem et usque ad finem pertinentem, natura distinguendam a reliquo hymno Pythico indicavit. Qua in re eius vestigia premo. Sed multo magis in prooemio excutiendo eam rationem adhibebo, quam nuper Carolus Robertus[2]) cum de hymno in Mercurium disputavit secutus est, qui et primum me ad hoc opusculum scribendum consilio suo incitavit et postea mihi erranti viam semper benevolentissime monstrabat rectam.

Hanc igitur viam ingressus versibus quibusdam primum disputationis locum designo, quorum si quis naturam recte perspexerit, non potest non de ceterarum prooemii partium inter se ratione mirum in modum certior fieri. Versus illos saepenumero vexatos 14—18 clausulam efficere, si concessum fuerit (quod me postea clare evicturum spero), apparebit, versibus 1—18 rhapsodiam brevem sed integram de Apolline Deli nato contineri; eosdem autem, versibus 14—18 omissis, exordium praestare longioris copiosiorisque rhapsodiae, in qua de eiusdem dei natu et pueritia agatur. Necnon qui de Apolline Pythio carmen recitaturus erat eodem exordio uti poterat, dummodo post v. 19 *πῶς — ἐόντα,* qui idem est atque v. 207, vv. 25—28 pronuntiatis, quibus aliter quidem quam

[1]) De Hymnis homericis maioribus, Lips. 1867.
[2]) Herm. XLI, 1906, p. 389—425.

versibus 117—119 sed idonee ad propositum Delus insula describitur, versibus 30—207 omissis, continuus ad v. 208 transgrederetur. Equidem demonstrare posse mihi videor, quae partes in singulorum hymnorum nervis inhaereant, quae partes, transeundi vel contrahendi causa interiectae, "episodia" vel compendia, quae dico, efficiant, quas denique partes poeta novissimus adiecerit. Quae ratio hymni tractandi quamvis per se minime simplex et interpretatori, praesertim tironi, plena periculorum et dubitationum sit, nihilominus ea mihi esse videtur, qua viam quasi per huius carminis multifarias et prope modum labyrintheas flexiones fortasse invenire possimus.

Iam supra dixi neminem repetitiones quasdam quae in carmine essent fugere posse. Quas hic, priusquam singulos prooemii versus ex ordine tractem, visum est ea magis de causa brevibus exponere, quia, cum et natura diversae sint et aliae in aliis prooemii partibus inveniantur, omnes tamen ita ob oculos versantur, ut a lectore vel securissimo observantiam postulent.

Apollinis partus ter describitur; primum vv. 16—18 quos versus parvi cuiusdam hymni clausulam esse iam supra memini:

τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίηι, τὸν δὲ κραναῇι ἐνὶ Δήλωι
κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον,
ἀγχοτάτω φοίνικος ἐπ' Ἰνωποῖο ῥεέθροις.

Tum vv. 25—29, ubi quodnam carminis argumentum eligat poeta quaerit:

ἤ ὥς σε πρῶτον Λητὼ τέκε χάρμα βροτοῖσι
κλινθεῖσα πρὸς Κύνθου ὄρος κραναῇι ἐνὶ νήσωι
Δήλωι ἐν ἀμφιρύτηι; ἑκάτερθε δὲ κῦμα κέλαινον
ἐξήιει χέρσονδε λιγυπνοίοις ἀνέμοισιν.
ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσι θνητοῖσιν ἀνάσσεις.

Quos duos locos qui inter se comparaverit, priorem ex posteriore pendere facile intellegit: nam imitator verba *κραναῇι ἐνὶ νήσωι Δήλωι ἐν ἀμφιρύτηι* in brevius contrahens *κραναῇι ἐνὶ Δήλωι*, contra verba *κλινθεῖσα πρὸς Κύνθου ὄρος* augens et amplificans *κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον* (exemplo fortasse aut ζ 207 *κίονι κεκλιμένη δμωαὶ κτλ.* aut

potius *Φ* 17—18 *δόρυ μὲν λίπεν αὐτοῦ ἐπ' ὄχθῃ* | *κεκλιμένον μυρίκῃσιν* usus) scripsit, praeclaram autem imaginem fluctuum utrimque insulam pulsantium homo imbecillus omisit; ecce aperta vestigia imitationis. Verba *ἀγχοτάτω φοίνικος* apertum est ex 117 *ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε* defluxisse, cuius versus exemplum est *ρ* 38 *ἀμφὶ δὲ παιδὶ φίλωι βάλε πήχεε δακρύσασα.* Versus 26 extrema pars *κραναῆι ἐνὶ νήσωι* et versus 27 initium *Δήλωι ἐν ἀμφιρύτηι* locos homericos referunt, illa *Γ* 445 [1]) *νήσωι δ' ἐν Κραναῆι*, verba Alexandri de primo cum Helena concubitu dicentis, hoc *α* 50 *νήσωι ἐν ἀμφιρύτηι*, ubi Ulixis apud Calypsonem commorationis mentio fit. Quae homericae memoriae in verbis *κραναῆι ἐνὶ Δήλωι* coniunguntur. Postremo quid vv. 117—119 legitur?

> *ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισε*
> *λειμῶνι μαλακῶι· μείδησε δὲ γαῖ' ὑπένερθεν·*
> *ἐκ δ' ἔθορε πρὸ φόωσδε, θεαὶ δ' ὀλόλυξαν ἅπασαι.*

Hic alteram de parturitione fabulam subesse neminem fugit. Non montaneus est locus, sed molle pratum in quo palma floret, unde forsitan colligere possis hunc poetam dicere voluisse deam ad *τροχοειδέα λίμνην* peperisse, lacum in planitie situm quae a Cyntho monte ad septentriones et solis occasum vergit. Nam illic palma illa floret, Theognide certe teste, qui 5 seq. hos ipsos versus imitatus est:

> *Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε, πότνια Λητὼ κτλ.*

Nec supina iacet paritura sed palmam amplexa genibus solo nititur, nec sola est Latona, sed omnes praeter Iunonem parturienti adsunt deae, et tantum ab eo est ut insula littus tantum praebeat inhospitale, ut terra ipsa ridens se auro contegat. Itaque manifestum est versibus 16—18, ubi et palmae et fluminis sub monte ripae [2]) mentio fit, elementa aliorum duorum locorum contineri.

---

[1]) Verbis *κραναῆι ἐνὶ νήσωι* poetam versus *Γ* 445 recordatum esse testimonio est initium v. 25 *ἦ ὥς σε πρῶτον*, quod et ipsum ex *Γ* 443 *οὐδ' ὅτε σε πρῶτον* defluxisse videtur.

[2]) *ὄχθος* apud Homerum non invenitur, sed *ὄχθη* semper aut fluminis fossaeve ripam aut (*ι* 132 *ἁλὸς πολιοῖο παρ' ὄχθας*) litus marinum significat.

Alterum repetitionis genus in duobus versibus 19 et 207 et utrumque eorum subsequentibus exsistit, ubi quid dicere velit ita exprimit poeta ut eluceat verbis *πῶς σ' ὑμνήσω εὔυμνον ἐόντα;* ambobus in locis non eundem sensum subesse. Nam illic postquam ubique cum in terra continenti tum in insulis Apollinis laudibus locum esse, porro promunturia omnia et montium cacumina et flumina et portus et litora ei cara esse affirmavit, num potius canat de Delo insula et illic parturiente Latona interrogat. Ad oculos est de numero fanorum agi et de cultu Apollinis late celebrato. Versu 207 prorsus aliter rem se habere videmus. Post quem versum nulla est id genus locorum enumeratio, sed de historiarum copia verba faciens utrum de Apolline a Latona Deli parto[1]) an de Apolline multarum heroidum amatore an de templo Pythio ab eo condito cantare praestet, pectore suo volvit rhapsodus. Sic totum locum interrogationibus illis abundantem *ἤ ὥς σε πρῶτον* (25), *ἠέ σ' ἐνὶ μνηστῆισιν* (208), *ἢ ἅμα Φόρβαντι* (211), *ἢ ἅμα Λευκίπποι* (212), *ἢ ὡς τὸ πρῶτον* (214) Hesiodeis illis *'Ηοίαις* comparare licet, ubi testibus Schol. Pind. Pyth. III, 14 et Schol. Hesiod. Theogon. 142 etiam de Leucippo et eius ex Apolline nepote dictum erat.

Tertium genus est duplicatio quam vocavi. Primis prooemii versibus duodecim rhapsodus Apollinem arcu tento deos in Iovis domo adeo perterrentem facit ut a sellis exsiliant. Sed postquam mater Latona, arcu e columna ad quam est sedile Iovis suspenso, deo arcipotenti persuasit ut sederet, considunt etiam dii tremuli, et gaudet dea Latona quod filium fortem arcipotentem peperit. Versibus 182 seq. duplicationem vel repetitionem deorum illius in Olympo consessus exsistere, iam dudum editores omnes inter se consenserunt. Illic Apollinis adventus arcitenentis diis terrori est, hic citharoedus ingressus deos congregatos cantu fidibusque delectat. Sed imprimis dignum est quod animadvertatur, ut illic Latonam, ita hic et Latonam et Iovem de filio inter deos immortales ludente vehementer laetari.

---

[1]) Nam ut postea (pag. 19) me demonstraturum esse spero, post 207 suo in loco legendi sunt versus 25—28.

Caput I.

De Hymno in Apollinem Delium breviore.

Versus 1—18, quos brevem in Apollinem Delium Hymnum nominavi, quamvis indivisos et commoditatis causa primo in loco tractem, non habent omnes naturam unam et eandem. Immo vero duae exstant partes, altera 1—13 versus, altera 14—18 continens, quos originis recentioris esse supra memini. Ita tamen apte cum antiqua recentior pars convenit, ut carmen integrum exstiterit non fortasse indignum quod nomen hymni ferat.

In versibus 1—13, claris luculentis epicum satis spirantibus, nihil inest quod prohibeat quin exordium cuiusvis prooemii efficiant quo Apollo arcitenens Latona natus laudibus tollatur; ne inest quidem quod hos versus Delii laudibus aptiores reddat quam Pythii dei.

Continuo post vv. 1—13 sequitur clausula, e versibus 14—18 constans, quorum vera natura mirum est quod tam diu tot investigatores latuit. Illud *χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ* clausulam esse neminem fugere potest qui vocis illius *χαῖρε* in Hymnis Homericis usum cognitum habeat. At Allenius Sikesiusque cum editoribus quibusdam aliis versus hos quinque pro Latonae invocatione lyrica habent. Et invocatio nempe hic exsistit, sed nequaquam intercalaris qualem viri docti ponunt. Nam quid est quod, his versibus carminis summa anticipata, statim poeta “Qualem te, o Apollo canam?” exclamet? Errant quoque viri docti (Kieselius, Schneidewinus, Priemius, Abelius), qui hos versus hymnum perfectum praebere arbitrentur. Wegnerus contra initio hymni inter versus 2 et 3 insererere volebat. Mirus sane error.

Re enim vera planum est investiganti, inter hymnos non modo Homericos sed Callimacheos et Orphicos atque etiam Procli hymnos nullum[1]) *χαῖρε* pro formula initiali esse, contra ex hymnis Homericis, qui numero XXXIII sunt, viginti sex clausula *χαῖρε,* duo clausula *ἵληθι* exire. Saepissime legitur in clausula *χαῖρε* vel *χαίρετε* prima in sede (sexies decies). Clausula *καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε κτλ.* exeunt decem hymni. Cum *χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ* conferantur clausulae hymni XXI Homerici

χαῖρε Ποσείδαον γαιήοχε κυανοχαῖτα
καὶ μάκαρ, εὐμενὲς κτλ.,

et Orphici III

νῦν δὲ μάκαιρ' ὦ Νύξ κτλ.

Hymnorum Orphicorum poetae cum clausulam *χαῖρε* non iam adhibeant, videntur tamen vim tralaticiam vocabuli memoria tenuisse, quippe qui hymnos saepe *κλῦθι* aut *ἐλθὲ,* nunquam *χαῖρε* incipiant.

Quae mea quidem sententia satis ostendunt vv. 14—18 clausulam praestare. Sed quid causae erat rhapsodo quare hic clausulam poneret? Hoc nempe, quod clausula inserta iam absolutum habebat, si voluerat, prooemium brevius, ut supra dixi, fere omnibus in Apollinis laudem rhapsodiis aeque aptum. Solus ille hymnus in Apollinem Delium (19—179) hoc prooemium excipere non poterat, quippe qui et ipse alium in modum Apollinis Deli partum narraret. Versibus autem 14—18 omissis, rhapsodo versus 1—13 prologum praeclarum huius ipsius hymni in Apollinem praebebant. Hi igitur

---

[1]) Procli Hymno VI excepto, qui in Hecaten et Ianum inscriptus iisdem 3 versibus incipit ac desinit, quo clarius natura anceps Iani numinis simul prospicientis et respicientis significetur:

χαῖρε θεῶν μῆτερ πολυώνυμε καλλιγένεθλε
χαῖρ' Ἑκάτη προθυραῖα μεγασθενές, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
χαῖρ' Ἴανε προπάτορ, Ζεῦ ἄφθιτε, χαῖρ' ὕπατε Ζεῦ.

Et inter Hymnos Magicos (ed. Abelius, Lipsiae et Pragae 1885) duo sunt qui media in invocatione *χαῖρε* prima in sede exhibeant, II², 12 et V, 40. Sed in his barbaris versibus quis quid miretur, postquam *ἀμβροσίον στομάτοιο* (II², 10) legit?

versus 14—18 ita comparati sunt, ut ex libidine aut omitti aut inseri potuerint prout postulabant res et occasio. Talia additamenta iam supra (pag. 9) *ἐπεισόδια* vel compendia nominavi. Et in hoc uno differt hoc compendium a ceteris quae infra indicabo, quod simul clausulam continet. Nequaquam igitur pro vulgari interpolatione habendum est, quamvis, ut iam demonstravimus, recentioris originis sit quam versus sequentes. At id ipsum, quod recentiores sunt versus et tamen clausulam continent, mihi quidem plane indicare videtur rhapsodum quendam ex consulto adiecisse ut epitomen fabulae daret quam totam recitare nolebat.

Caput II.

De Hymno in Apollinem Delium longiore.

De versibus 1—13 exordium in prooemium Delium efficientibus quae iam supra dixi non est cur repetam. Sed haec habeo quae addam. Hoc exordium, quod iam antea ad qualemcumque in Apollinem Hymnum idoneum esse indicavi, Delii prooemii, a Chio illo caeco compositi, in nervisne inhaereat necne, nemo potest diiudicare. Versus hic valde congruere negari non potest, sed hoc incertum est, utrum eos ipse Chius primus scripserit, an potius versibus antiquioribus, qui, ultro exordium pulcherrimum praebentes, ei iam tum praesto erant, poeta suos versus a 19 incipientes tum demum adiecerit, cum sacra Deliaca laudibus celebrare vellet. Illud ut credam, magis inclinat sententia mea. Nam et certa communis originis indicia desunt et versibus 125—6 Delii prooemii

χαῖρε δὲ Λητὼ
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν

poeta illos versus 12—13 exordii

χαίρει δέ τε πότνια Λητὼ
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ κτλ.

mihi quidem imitari videtur. Ego enim eos editores errare duco, qui v. 13 ut qui ex v. 126 hoc irrepserit deleant. Nam versus dimidiatus *χαίρει δέ τε πότνια Λητὼ* conflatus est e duobus Odysseae versibus 30 *χαίρουσιν δὲ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ* et 106 *γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ*, quorum utroque in loco de parentibus filiae pulchritudine gaudentibus agitur. Itaque versum *οὕνεκα κτλ.* post 12 suo in loco esse, 125—6 *χαῖρε δὲ Λητὼ οὕνεκα κτλ.* imitationem et repetitionem esse duco. Sed hanc meam sententiam comprobare non possum; ad comprobandam pluribus certioribusque argumentis aut saltem indiciis opus esset, propterea quod cogitari potest versum 13 interpolatum esse aut poetam eundem versum suum bis adhibuisse.

De vv. 14—18 iam sufficienter dictum est (pp. 8, 9). Versuum 19—24, quorum unus est tenor, nullus est delendus aut alium in locum transponendus. Versus 22—24 hanc sane difficultatem habent, quod vv. 144—5 iidem sunt ac vv. 22—23, nisi illic *τε φίλαι* pro *τοι ἅδον* legimus. Quos ambos locos oportet accuratius investigare. Fuit tempus cum versus illos 22—23

πᾶσαι δὲ σκοπιαί τοι ἅδον καὶ πρώονες ἄκροι
ὑψηλῶν ὀρέων ποταμοί θ' ἅλαδε προρέοντες,

ut pote eadem fere verba quae 144—5 exhibentes, serius illinc huc illapsos putarem. Nunc aliter iudico, hac videlicet deliberatione ductus: si quis v. 22—23 induxerit, non poterit non etiam 24 delere, qui solus prorsus in suspenso sit. Sed 21 et 24 ex iisdem versibus homericis radices ducunt, *ν* 234—5.

21 *ἠμὲν ἀν' ἤπειρον πορτιτρόφον*[1]) *ἠδ' ἀνὰ νήσους*
24 *ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι λιμένες τε θαλάσσης*

[1]) Nam *πορτιτρόφον* nequaquam est reiectaneum. *δ* 606—7 Ithaca insula sic describitur:

αἰγιβότος καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο.
οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος οὐδ' εὐλείμων.

Itaque in versu 21 terrae continenti, quam poeta insulis confert, epitheton magnopere congruum, *πορτιτρόφον*, hoc est vitulos pascens, datur, propterea quod insulae capris tantum et id genus pecori pastum praebere poterant.

Atque hymnus:

ἤ πού τις νήσων εὐδείελος ἠέ τις ἀκτὴ
κεῖθ' ἁλὶ κεκλιμένη ἐριβώλακος ἠπείροιο.

Versus igitur disiungi non possunt. Accedit quod v. 22 πᾶσαι δὲ σκοπιαί τοι ἅδον καὶ πρώονες ἄκροι non solum ex Θ 557

ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι,

sed etiam ex Hesiodi Theogoniae versu 926 fluxit

πότνιαν ᾗ κέλαδοί τε ἅδον πόλεμοί τε μάχαι τε

(ut infra 29 ἔνθεν ἀπορνύμενος Theogoniae v. 9 ἔνθεν ἀπορνύμεναι reddit), quod ab Hesiodo eleganter dictum τοι ἅδον versus 22 in versu 144 vulgari illi τε φίλαι cedit. Atque si quis versus illos 138 et 142—5 inspexerit, versus 142 [1]) ἄλλοτε δ' ἂν νήσους ei in mentem revocabit 21, et 143

πολλοί τοι νηοί τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα

fere eundem esse videbit ac 76

τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα.

Tantum abest ut solum in 144—5 sint similitudines.

Porro minore cum incommodo desiderari possunt 144—5 quam 22—23 propterea quod sic nullus versus tertius in suspenso relinqueretur. Quod si quis interroget, quamobrem illic versus 24 post 145 non repetatur, si quidem 144—5 ex 22—23 sint propagati, hoc habeam quod respondeam. Si Roberto duce v. 142 ἀκτάς pro ἀνέρας legimus,[2]) ne potuit quidem poeta ἀκτὰς iterum commemorare. Itaque versus 144—5 ex 22—3 defluxisse duco.

Versus 25—28 soli, versibus 14—18 omissis, ut iam in Capitulo I exposui, vestigia rhapsodiae cuiusdam de Latona in litore insulae vastae pariente servant. Huic fragmento exiguo, quamvis lepidum ac concinnum sit, tamen in hymno, ut qui fabulae formulam diversam multo maiore apparatu

---

[1]) ἂν cum D'Orvillio lego, pro αὖ codicum.

[2]) Cf. ν 234—5 et Υ 50 ἄλλοτ' ἐπ' ἀκτάων ἐριδούπων.

ornatam referat, locum non esse ultro apparet. Quod non ita intelligi velim quasi hoc fragmentum parum vetustum esse arbitrer. Immo vero his in versibus mythi forma minus ornata apparet, ideoque, nisi fallor, antiquior, sed quae huc primitus non pertineat. Itaque hic iterum, ut iam in praefatione dixi, compendium habemus vel epitomam, quae suo in loco, historia in brevius contracta, transitionem effecerat et hic serius demum inserta est. Quaerenti ubi poematis istuc compendium suum proprium locum habuerit, similitudo ante oculos posita est eorum versuum, qui inde a v. 207 subsequuntur. Recitabat igitur rhapsodus

207 *πῶς τ᾽ ἄρ σ᾽ ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐόντα;*
25 *ἢ ὥς σε πρῶτον Λητὼ τέκε χάρμα βροτοῖσι,*
κλινθεῖσα πρὸς Κύνθου ὄρος κραναῆι ἐνὶ νήσωι
Δήλωι ἐν ἀμφιρύτηι· ἑκάτερθε δὲ κῦμα κέλαινον
ἐξήιει χέρσονδε λιγυπνοίοις ἀνέμοισιν;
208 *ἠέ σ᾽ ἐνὶ μνηστῆισιν ἀείδω καὶ φιλότητι*
ὅππως μνωόμενος ἔκιες Ἀζαντίδα κούρην
Ἴσχυ᾽ ἅμ᾽ ἀντιθέωι, Ἐλατιονίδηι εὐίππωι;

(vid. p. 11).

At non potuit illud *ἔνθεν ἀπορνύμενος* prorsus in suspenso relinqui. Epitomae verba eam partem prooemii olim obtinuisse credo, quae respondet ad *πῶς τ᾽ ἄρ σ᾽ ὑμνήσω κτλ.* id est, descriptionem vel certe mentionem Deli insulae natalis, ut indicat et illud *ἔνθεν*. Lacunam post 29 a Wolfio statutam probo. Excidisse mihi videntur aliquot versus, ut iam Wolfius, Hermannus, Schneidewinus putaverunt, quibus poeta Iovis cum Latona concubitum[1]) cecinerat Iunonisque invidias, quae causae Latonae erant errandi. Errores vv. 30—45 narrantur.

Hic ego invitus a praeceptore meo praeclarissimo dissentio. Robertus enim lacunam post 30 statuere vult ut, versibus 29 et 30 arcte coniunctis

---

[1]) Cf. Callimachi III Hymnum in Dianam 137 seq.

μέλοι δέ μοι αἰὲν ἀοιδὴ,
τῆι ἐνὶ μεν Λητοῦς γάμος ἔσσεται, ἐν δὲ σὺ πολλή,
ἐν δὲ καὶ Ἀπόλλων κτλ.

πᾶσι θνητοῖσιν ἀνάσσεις
ὅσσους Κρήτη τ' ἐντὸς ἔχει καὶ δῆμος Ἀθηνέων.,

θνητοῖσιν et ὅσσους uno et eodem in enuntiato contineantur. Versibus 29—30 Amphictioniam Deliorum et Atheniensium, quam Apollinem Delium praecipue coluisse satis constat, significari ducit, sententiam his fere rationibus firmans. Primum certum esse inter Cretam et Atticam insulas Amphictioniae illius sitas esse. Accedere quod verba ista ὅσσους Κρήτη κτλ. multo aptiora sint ad terminos inter quos homines deum quemvis colunt significandos, cf. *B* 844—5

Αὐτὰρ Θρήϊκας ἦγ' Ἀκάμας καὶ Πείροος ἥρως
ὅσσους Ἑλλήσποντος ἀγάρροος ἐντὸς ἐέργει,

quam ad catalogum insularum incipiendum, quippe quas ipsas, non incolas earum, dea hospitium flagitet. Postremo offendi quod nunc coniungi possit ὅσσους — τόσσον ἐπ' ὠδίνουσα ἀφίκετο.

Sed ego quamvis viri doctissimi rationes auctoritatemque magnopere reverear, tamen a magistro his de causis dissentio. Primum in istud ὅσσους — τόσσον non offendendum esse puto, cum Ω 544 seq. legatur:

ὅ σ σ ο ν Λέσβος ἄνω Μάκαρος ἕδος ἐντὸς ἐέργει[1])
καὶ Φρυγίη καθύπερθε καὶ Ἑλλήσποντος ἀπείρων,
τῶν σε γέρων πλούτωι τε καὶ υἱάσι φασὶ κεκάσθαι.

Et hic locus et *B* 615—18, qui ei similis est

οἳ δ' ἄρα Βουπράσιον τε καὶ Ἤλιδα δῖαν ἔναιον
ὅ σ σ ο ν ἐφ' Ὑρμίνη καὶ Μύρσινος ἐσχατόωσα
πέτρη τ' Ὠλενίη καὶ Ἀλείσιον ἐντὸς ἐέργει,
τ ῶ ν αὖ τέσσαρες ἀρχοὶ ἔσαν,

mihi quidem indicio sunt in hymno quoque ὅσσους — τόσσον una sententia comprehensa fuisse. Neque praetermittendum est quantopere hic insularum catalogus illo navium in *B* catalogo nitatur. Deinde saepe in reliquo catalogo insulam et urbem aut promunturium in continente inter se opponi invenimus; ut exempli gratia 32 Peparethum et Aegas (in

---

[1]) Quem versum rhapsodus postea in catalogo (versu 37) imitatus est.

Euboea), 34 Samothraciam et Idam, 38—9 Chium et Mimanta Coryciumque, 41 Samum et Mycalen, 42 Coum et Miletum, 43 Carpathum et Cnidum, quorum sunt quae longius inter se distent, ut imprimis Scyrus et Phocaea in 35. Praeterea sine Creta et Athenis orbis ille insularum paeninsularumque mancus esset, nam inter Aeginam et Carpathum spatium magnum intercederet (nam Naxus, Parus, Rhenaea intra orbem sitae sunt Delo proximae), nisi Cretae Athenarumque mentio fieret.

Sed maximi esse momenti ad sententiam meam firmandam locos duos Hesiodi personati duco, quorum alter in fragmento Catalogorum, quod Helenae Proci nominatum est, nuper in Aegypto effosso (Berliner Klassiker-Texte Heft V 1. Hälfte pag. 31, col. 1), alter in certamine Homeri et Hesiodi legitur, cf. *B* 557 seq.

Catalogi fragmentum haec exhibet:

. . . .

Αἴας δ' ἐξαλαμεῖνος ἀμώμητος πολεμιστὴς
μνᾶτο· δίδου δ' ἄρα ἔδνα ἐοικότα, θαυματὰ ἔργα.
οἳ γὰρ ἔχον Τροιζῆνα καὶ ἀγχίαλον Ἐπίδαυρον
νῆσον τ' Αἴγειναν Μάσητά τε κοῦροι Ἀχαιῶν
καὶ Μέγαρα σκιόεντα καὶ ὀφρυόεντα Κόρινθον
Ἑρμιόνην Ἀσίνην τε παρὲξ ἅλα ναιεταώσας,
τῶν ἔφατ' εἰλίποδάς τε βόας καὶ ἴφια μῆλα
συνελάσας δώσειν, ἐκέκαστο γὰρ ἔγχεϊ μακρῷ,

et Agon Homeri et Hesiodi (ed. Rzach. p. 448):

οἳ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν
Ἑρμιόνην τ' Ἀσίνην τε, βαθὺν κατὰ κόλπον ἐχούσας,
Τροιζῆν' Ἠιόνας τε καὶ ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον
νῆσον τ' Αἴγιναν Μάσητά τε κοῦροι Ἀχαιῶν,
τῶν αὖθ' ἡγεμόνευε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης.

Denique in Iliade post *B* 557 seq.

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δύο καὶ δέκα νῆας
στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες

eidem atque in agone sequuntur versus: *οἳ δ' Ἄργος κτλ.* nisi quod *οἵ τ' ἔχον Αἴγιναν* pro *νῆσον τ' Αἴγιναν,* legitur.

Si quis hos tres locos recognoverit, concessurum eum esse puto *ὅσσους Κρήτη τ' ἐντὸς ἔχει* et *νῆσος τ' Αἰγίνη* nullo modo disiungi posse. Itaque optimo iure Hermannus et Schneidewinus lacunam ante v. 30 nec post eum statuerunt.

Nisi vero de Latonae et Iovis amore et Iunonis invidia antea dictum fuisset, profecto nobis satis mirum videretur illud *τόσσον ἐπ' ὠδίνουσα.*

Inde a versu 30 usque ad finem prooemii 178 gravior difficultas est nulla. Inter 81 et 82, ut iam Hermannus animadvertit, versus unus excidisse videtur, quem hunc fere in modum ego conlato *τ* 333 [1]) suppleri posse putem,

πάντηι κεν κλέος εὐρὺ φοροίη Φοῖβος Ἀπόλλων.

Versus 136 et 139, quem post 135 transposuit Gemollius, dittographiam esse arbitrantur Allenius Sikesiusque. Et certum est in parte suprema Pythii quod vocatur prooemii talia duplicis recensionis vestigia in versibus 478—9 et 482—3 ob oculos versari.

Superest ut quo modo supra in Capitulo de Hymno breviore versus illos 14—18 originis recentioris esse demonstravi, ita nunc certis prope modum argumentis, ex poetae consuetudine versuum homericorum adhibendorum deductis, demonstrem eundem rhapsodum et catalogum insularum et laudes salutationemque virginum Deliacarum scripsisse, itaque partem primam et extremam prooemii Delii Ruhnkeniani arctissime cohaerere. Nam

v. 170 *τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δε Χ ί ω ι ἔνι π α ι π α λ ο έ σ σ η ι ·*

qui scripsit, exemplum *γ* 170 usurpasse nemo negabit, qui ex tribus illis versibus est, quibus Lesbus, Chius Mimas, commemorantur:

γ 169 *ἐν Λ έ σ β ω ι δ' ἔκιχεν δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας*
ἢ καθύπερθε Χ ί ο ι ο νεοίμεθα π α ι π α λ ο έ σ σ η ς,
νήσου ἐπὶ Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ' ἀρίστερ' ἔχοντες,
ἢ ὑπένερθε Χίοιο παρ' ἠνεμόεντα Μ ί μ α ν τ α.

---

[1]) *τ* 333—34
τοῦ μέν τε κλέος εὐρὺ διὰ ξεῖνοι φορέουσιν
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, πολλοί τέ μιν ἐσθλὸν ἔειπον.

Sed in Catalogo Insularum iam legimus tres versus Lesbum Chium Mimanta ordine laudantes, e quibus Chius, caeci vatis patria, eximie laudibus a rhapsodo effertur, tamquam pulcherrima maris insularum:

37 *Λέσβος τ' ἠγαθέη, Μάκαρος ἕδος Αἰολίωνος,*
38 *καὶ Χίος, ἣ νήσων λιπαρωτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται*
39 *παιπαλόεις τε Μίμας κτλ.*

Iam antea (pagina 16) dixi mihi quidem videri versum 24 qui idem est ac versus 142 ex *ν* 234—5 defluxisse.

Sed tertium quoque eiusdem generis exemplum lectori proponam quod pro indicio habeo et catalogum illum et partem prooemii supremam eidem poetae tribuenda esse. Versu catalogi 34

Θρηΐκίη τε Σάμος Ἴδης τ' ὄρεα σκιόεντα

Samothracia et Ida una laudantur, ubi manifesta memoria subest versuum illorum luculentorum *Ν* 12—13:

ὑψοῦ ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς Σάμου ὑλήεσσης
Θρηΐκίης· ἔνθεν γὰρ ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη,

in quibus describitur Neptunus Samothraciae in summo cacumine sedens, Idam omnem contemplans et naves Graecorum. Et versu 17 pergit Homerus

αὐτίκα δ' ἐξ ὄρεος κατεβήσετο παιπαλόεντος,

in versu prooemii 141 legimus:

ἄλλοτε μέν τ' ἐπὶ Κύνθου ἐβήσεο παιπαλόεντος

Illic de Neptuno, hic de Apolline in monte *παιπαλόεντι* versantibus agitur.

Itaque nunc comprobatum est, opinor, versus CXLVIII 30—178 unum tenorem orationis integrum absolutum praestare.

Caput III.

De Hymno in Apollinem Pythium.

Iam Baumeisterus inter Delium prooemium et Pythium eam intercedere animadvertit similitudinem quae casui tribui nequeat. Primum versus 182—206 ad exemplum versuum 2—13 formatos esse; deinde in hymno utroque versum post prooemium sequi eundem *πῶς τ' ἄρ' σ' ὑμνήσω κτλ.;* postremo poetam in versus 214 verbis *ἢ ὡς τὸ πρῶτον χρηστήριον* versus exemplo 25 *ἢ ὥς σε πρῶτον Λητὼ τέκε* usum esse. Ad quae ego multa alia ex versibus conflatis indicia reperui, de quibus postea erit agendum.

Quin exordio hymni versus aliquot desint nemo non dubitat; nam qui *εἴσι δὲ* exordium esse prooemii divinare potest? Sed nec credo plus quam duo fere versus (praeter solemnem illum invocandi et inchoandi: *μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι κτλ.* ut in Delii prooemio) exordio deesse, propterea quod sicut hymno in Delio iam versu 2 Apollo arcitenens in Iovis domum intrans describitur, ita versibus primis quos habemus Pythii hymni (182—3) poeta deum Citharoedum Pythum proficiscentem facit ut plane eluceat versus primos hymni utriusque consulto inter se opponi. Exordium prooemii Delii sine versu initiali 12 versibus constat. Pythium autem exordium bis tot et unum versum habet. Mihi igitur ante 182 versus circa tres excidisse videntur, idque eo magis quod nunc in hoc loco tres numero versus 179—181 legimus *ὦ ἄνα κτλ.*, qui cum neque Delii neque Pythii prooemii propriam efficiant partem, nequaquam, ubi nunc sunt, ferendi sunt.

Equidem haud scio an poeta aut ipsis versibus prooemii Delii 1—3 aut simillimis prooemium suum novum inceperit. Certe aequo iure hoc poterat facere atque paulo post versum 19 *πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω;* iterare. Itaque in restitutione mea (v. infra p. 37) ante prooemium Pythium, quod truncum legimus, versus 1—3 posui.

Versus igitur 179—181, nisi erro, rursus transitionem praebent quam quempiam puto rhapsodum Asianum Mileti ambo prooemia recitantem eo consilio huc inseruisse, ut post clausulam hymni Deliaci (v. 178) et priusquam de Apolline

Pythico cantare inciperet, Deli mentione denuo facta, laudes sedum cultus Apollinaris amplissimarum laxo ceu vinculo coniungeret. Et si quaeratur quem locum hi versus primo tenuisse arbitrer, ante 29 pro v. 25—28 inseri iubem, quos fabulae formam hymno reliquo incongruam continere ideoque eo loco inducendos esse demonstravi. Et repugnanti et obicienti, versui 29 ultima in sede ἀνάσσεις exhibenti versum 181 in verbum idem exeuntem antecedere non potuisse, habeo quod respondeam, Pythio in prooemio similia nos in versibus 536 et 537, utroque in φῦλ' ἀνθρώπων exeunte, invenire, et ipso tali ὁμοιοτελεύτῳ facillime saepissimeque accidisse ut versus praetermitterentur. Praeterea conferantur 146—7

> ἀλλὰ σὺ Δήλῳ, Φοῖβε, μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ,
> ἔνθα τοι ἑλκεχίτωνες κτλ.

et

> 181 αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις
> 29 ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσι θνητοῖσιν ἀνάσσεις.

Versus 182—206 ornatiores esse quam subsequentes quibus Apollinis itinera narrantur non est qui infitietur. Quod Groddeckius pro argumento habebat hos versus ipsos hymnum absolutum praestare. Sed similiter ratiocinanti facillimum esset probare unumquidque lepidius enuntiatum propriae originis esse. Oportet enim memoria teneamus Apollinis in Olympo inter admirantes deos splendorem ultro longe aptiorem arti poeticae materiam praebere, quam dei iter facientis stationes, atque ad concionem deorum depingendam iam Homerum versibus permultis poetae quasi ipsos colores in manus dedisse. Nisi sunt igitur originis alienae indicia, non sunt disiungendi hi versus. Cuius rei indicia prorsus desunt. Exordium debitum locum suum in prooemio Pythio habere indicat imitatio in parte hymni extrema 514 seq.

> βὰν ῥ' ἴμεν· ἦρχε δ' ἄρα σφιν ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων
> φόρμιγγ' ἐν χείρεσσιν ἔχων, ἐρατὸν κιθαρίζων,
> καλὰ καὶ ὕψι βιβάς·

locus qui ex 182—3

> εἶσι δε φορμίζων Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
> φόρμιγγι γλαφυρῇ

et 201—2

αὐτὰρ ὁ Φοῖβος Ἀπόλλων ἐγκιθαρίζει
καλὰ καὶ ὕψι βιβὰς

contaminatus est.

Et quod maioris fortasse momenti est, poeta Hymni XXVII in Dianam amborum prooemiorum exordia suum in usum adhibuit, atque eo modo coniunxit ut vix aliunde quam ex his duobus exordiis hausisse possit.

εἰς Ἄρτεμιν.[1])

3 αὐτοκασιγνήτην χρυσαόρου Ἀπόλλωνος,
ἣ κατ' ὄρη σκιόεντα καὶ ἄκριας ἠνεμοέσσας
5 . . . . . . παγχρύσεα τόξα τιταίνει,
. . . . τρομέει δὲ κάρηνα
ὑψηλῶν ὀρέων, ἰαχεῖ δ' ἔπι δάσκιος ὕλη
δεινὸν ὑπὸ κλαγγῆς θηρῶν, φρίσσει δέ τε γαῖα
9 πόντος τ' ἰχθυόεις . . . .
11 αὐτὰρ ἐπὴν τερφθῆι θηροσκόπος ἰοχέαιρα
εὐφρήνηι δὲ νόον, χαλάσασ' εὐκαμπέα τόξα
ἔρχεται εἰς μέγα δῶμα κασιγνήτοιο φίλοιο,
Φοίβου Ἀπόλλωνος, Δελφῶν ἐς πίονα δῆμον,
15 Μουσῶν καὶ Χαρίτων καλὸν χορὸν ἀρτυνέουσα.
ἔνθα κατακρεμάσασα παλίντονα τόξα καὶ ἰοὺς
ἡγεῖται . . . . , ...
18 . . αἱ (Μ. καὶ Χ.) δ' ἀμβροσίην ὄπ' ἰεῖσαι
ὑμνεῦσιν Λητὼ καλλίσφυρον ὡς τέκε παῖδας
ἀθανάτων βουλῆι τε καὶ ἔργμασιν ἔξοχ' ἀρίστους.

Tum e huius exordii versibus ii imprimis mihi digni esse videntur qui animadvertantur, in quibus (190—193) oratione luculentissima poeta dona i. e. munera deum immortalium quam longe ab hominum imbecillorum stultorumque condicione differant exponit:

Μοῦσαι . . . .
ὑμνεῦσίν ῥα θεῶν δῶρ' ἄμβροτα ἠδ' ἀνθρώπων

[1]) Absque exordiis duorum in Apollinem prooemiorum videtur huius Hymni rhapsodus v. 4 Hymni in Mercurium versum 95 πολλὰ δ' ὄρη σκιόεντα κτλ. et vv. 7, 8, 9, praeter Α 43 δεινὴ δὲ κλαγγὴ κτλ., Hymni in Cererem versum 386 ἠύτε μαινὰς ὄρος κατὰ δάσκιον ὕλην adhibuisse.

τλημοσύνας, ὅσ' ἔχοντες ὑπ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
ζώουσ' ἀφραδέες καὶ ἀμήχανοι οὐδὲ δύνανται
εὑρέμεναι θανάτοιό τ' ἄκος καὶ γήραος ἄλκαρ.

Quibus de versibus, me quidem iudice versuum prooemiorum in Apollinem omnium longe pulcherrimis et Homero ipso dignis, posteriores poetas exemplum cepisse arbitrabitur qui hymni in Cererem contulerit v. 257 seq.

νήιδες ἄνθρωποι καὶ ἀφράδμονες οὔτ' ἀγαθοῖο
αἶσαν ἐπερχομένου προγνώμεναι [οι Codices] οὔτε κακοῖο,

qui in disputatione Orphica Berolinensis papyri (Berliner Klassiker-Texte Heft V 1. Hälfte, col. 6, 15) cum aliis eiusdem prooemii versibus sic leguntur

ἄφρονες ἄνθρωποι δυστλήμονες [οὔτε κακοῖο
αἶσαν ἐπ]ερ[χομένου πρ]ογνώμονες οὔτ' ἀ[γαθοῖο]

et postea hunc in modum amplificata inter Orphicorum hymnorum fragmenta inveniuntur apud Johannem Malalan IV p. 75—76: (Abelii Orphica p. 182)

θῆρες τ' οἰωνοί τε βροτῶν τ' ἀλιτήρια φῦλα
ἄχθεα γῆς, εἴδωλα τετυγμένα, μηδαμὰ μηδὲν[1])
εἰδότες, οὔτε κακοῖο προσερχομένοιο νοῆσαι
φράδμονες, οὔτ' ἄποθεν μάλ' ἀποστρέψαι κακότητος,
οὔτ' ἀγαθοῦ παρέοντος ἐπιστρέψαι τε καὶ ἔρξαι
ἴδριες, ἀλλὰ μάτην ἀδαήμονες ἀπρονόητοι.

Et postremo iterum similitudinem quandam ostendunt versus 532—3 prooemii

νήπιοι ἄνθρωποι δυστλήμονες, οἳ μελεδῶνας
βούλεσθ' ἀργαλέους τε πόνους καὶ στείνεα θυμῷ.

De sermone et ratione dicendi eius qui Apollonis iter et templum conditum narravit rhapsodi, hoc saltem dicere licet, abhorrere ab illius Chii epica concinnitate, id quod Ruhnkenio inter indicia fuit prooemia disiungenda esse. Sed fortasse

[1]) Num casui tribuendum est, quod in parabasi Avium Aristophanearum, cui Orphici quidpiam inesse egregie perspexit O. Kern (De Orphei Epimenidis Pherecydis Theogoniis, Diss. Berol. 1888, p. 12) exordio similis sententia, quamquam coloribus ex alius generis poematis depromptis recurrit?

paucis ante me investigantibus eluxit poetam per hanc totam partem versus prooemio Delio desumptos eodem in modo ac versus Homericos usurpasse. Versum 207 versum 19 repetere, nemo non animadvertit. Sed quid de versibus dicamus 204, 214, 220—221, 247—8—9, (qui paulum mutati 258—9—60, et rursus 287—8—9 leguntur) 250—1—2—3, qui si cum prooemii Delii conferuntur versibus 153—4, 75—6, 80—81 et 57, 21, 30, 132, ex illis defluxisse luce clarius est?

Sed singuli singulis conferantur:

207 *πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω κτλ.*
19 idem est.

204 *οἱ δ' ἐπιτέρπονται θυμὸν μέγαν εἰσορόωντες,*

ubi de Latona et Iove Apollinem admirantibus,

153 *τέρψαιτο δὲ θυμόν*
154 *ἄνδρας εἰσορόων κτλ.*

ubi de peregrino Ionas in panegyri admirante sermo est.
(Sed conferas etiam *H* 214

τὸν δὲ καὶ Ἀργεῖοι μὲν ἐγήθεον εἰσορόωντες).

214 *ἢ ὡς τὸ πρῶτον χρηστήριον ἀνθρώποισιν*
81 *ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον, αὐτὰρ ἔπειτα.*

De 80 vide infra.

220 *(στῆς δ' ἐπὶ Δηλάντωι πεδίωι), τό τοι οὐχ ἅδε θυμῶι*
τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα

deprompti sunt ex

75 *κλύσσει, ὁ δ' ἄλλην γαῖαν ἀφίξεται, ἥ κεν ἅδηι οἱ*
τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα
et

247 *Τελφοῦσ'· ἐνθάδε δὴ φρονέω περικαλλέα νηὸν*
ἀνθρώπων τεῦξαι χρηστήριον, οἵ τέ μοι αἰεὶ
ἐνθάδ' ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας

tantum non sunt iidem ac

80 *ἐνθάδε μιν πρῶτον τεύξειν περικαλλέα νηόν*
ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον, αὐτὰρ ἔπειτα

et

57 ἄνθρωποί τοι πάντες ἀγινήσουσ' ἑκατόμβας.

Postremo 250—3

ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν
ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε καὶ ἀμφιρύτους κατὰ νήσους
χρησόμενοι· τοῖσιν δὲ κ' ἐγὼ νημερτέα βουλὴν
πᾶσι θεμιστεύοιμι χρέων ἐνὶ πίονι νηῷ

hos tres versus imitantur

21 ἠμὲν ἀν' ἤπειρον πορτιτρόφον ἠδ' ἀνὰ νήσους
27 Δήλῳ ἐν ἀμφιρύτῃ (sed etiam α 50 νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ.)
132 χρήσω δ' ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν[1].

Accedit quod etiam ceteroquin tot hac in parte repetitiones occurrunt, ut hic rhapsodus eas quam maxime in deliciis habuisse videatur.

Primo versus 229 ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες κτλ. iterum 239 tertium 277 verbis iisdem repetitur; et quae 246 in secunda, eadem 378 in tertia persona leguntur. Aut ita versus mutantur, ut antithesis existat, velut

220 τό τοι οὐχ ἅδε θυμῷ
τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα (cf. supra)

et

244 τόθι τοι ἅδε χῶρος ἀπήμων
τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα

Atque 247—9 iterum versibus 258—60, personis tantum mutatis, referuntur, in quibus dignum est ut animadvertatur unam quae inest mutationem ἀνθρώπων τεῦξαι χρηστήριον in ἔμμεναι ἀνθρώποις χρηστήριον illud 81 ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον vel accuratius servare. Tertium 287—295 leguntur fere eidem versus, qui praeter mutatam personam grammaticam omnino eadem verba praebent, nisi quod 295 διαμπερές invenimus pro διηνεκές in 255.

---

[1]) Cf. Aeschyl. Eumenid. v. 19
Διὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας πατρός.

Itaque de prooemio Pythio dicere licet scatere id imitationibus repetitionibusque. Quae quamquam magnam partem ex indole Homerica sunt, velut quod interrogatus interrogatoris verba repetit, tamen monendum est, Deliaci hymni auctorem hac in re ab Homero dissentire; nam in versibus 1—178 duas tantum repetitiones inveni, 12—13 = 125—6 et 22—3 = 144—5, de quibus ambabus iam supra verba feci.

Versus 208—213, qui penitus corrupti esse videntur, constat etiam mancos esse. Ego nescio an hic fragmentum habeamus tertii prooemii in Apollinem amatorem compositi. Nam eiusdem est generis atque illud de Delio arcitenente. Sed quamquam manci sunt, tamen inter 207 *πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω κτλ.* et 214 *ἢ ὡς τὸ πρῶτον κτλ.* eodem modo interpositi esse videntur, atque illi Delii prooemii versus 20—24 *πάντη γάρ τοι Φοῖβε* inter *πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω* (19) et *ἢ ὥς σε πρῶτον Λητὼ κτλ.* Iam supra (pag. 11) de hac duplicatione, quam vocavimus, disseruimus. Praeterea oratio horum versuum minus est homerica, si nobis frustulum tantillum ad orationem exigere licet. Unam tantum memoriam homericam prae se ferunt, eamque minus felicem in versu 213 *πεζός, ὁ δ' ἵπποισιν* ex Θ 59 *πεζοί θ' ἱππῆές τε.* Fragmentum fortasse primitus tale compendium fabularum de Apollinis amoribus praestabat quale in versibus 14—18 mythi de natu Apollinis habemus.

Inde a versu 214 omnes versus indolem eandem exhibent usque ad 388, absque illis de Typhaone ex Iunone irata sine Iove nato, qui versus medium prooemii locum tenent. Nam et ante et post narrationem illam (305—355 iam ab Heynio et Ruhnkenio segregatam) easdem huius Pythii prooemii notas de quibus iam locutus sum, repetitiones crebras dico, animadvertere licet. Versus 366 prorsus versui 249 (cf. 57), versus 378 versui 246 (persona grammatica tantum mutata) respondet, versus 381 versus duo 275—6 in mentem revocat, versus 376 et 385 ad versus 300 normam formati sunt. Versus 384 clausula fere eadem est ac versus 245. Praeterea neminem fugiet fabulam de Typhaone valde a laudibus et rebus gestis Apollinis abhorrere, quas quidem novus hic mythus vehementer deturbat. Aetiologia quoque, cuius ubique hymno in Pythico magnae partes sunt, in versibus 305—355 omnino deest. Nec Delii Hymni imitatio ulla inveniri potest, nec, praeter versum

352, qui idem est ac 306[1]), eiusdem versus repetitio, quae quidem prooemii Pythii propria sunt. Accedunt vestigia quae indicare videntur, hoc carminis de Typhaone fragmentum Pythico hymno antiquius esse. Nam mihi quidem videntur versus 302 pars ultima et versus 303 ex illius versu 355 defluxisse, qui exemplum utriusque commune Homericum accuratius reddit *I* 540

ὅς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκε.

Quod vero dixerunt critici versus 305—355 Hesiodea quadam indole esse, recto dixerunt, nisi quod etiam homericis imitationibus, ut ipsius Hesiodi Opera et Theogonia, scatent. Equidem his in L versibus plures locos sententias certe si non ipsa verba locorum Hesiodeorum reddentes, mihi invenisse videor, quam in reliquo hymno toto. Sic verbi gratia conferantur cum versibus 308—9

εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην
ἐν κορυφῇ· ἡ δ' αἶψα χολώσατο πότνια Ἥρη

Hesiodi Theogoniae versus

924—5

αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν
δεινὴν ἐγρεκύδοιμον κτλ.

et fragmentum a Chrysippo servatum[2]) apud Galenum (De Hippocrate et Platone III. 8)

τὴν μὲν ἔτικτε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
πὰρ κορυφὴν Τρίτωνος ἐπ' ὄχθῃσιν ποτάμοιο.

Similiter cum versu 313

πρῶτος, ἐπεί μ' ἄλοχον ποιήσατο κέδν' εἰδυῖαν

[1]) Fieri tamen potest, ut v. 306 potius ei poetae tribuendus sit, qui hoc episodium hymno Apollinari inseruit, ita ut v. 352 exemplar, v. 306 imitatio sit.

[2]) De eius fragmenti Chrysippei et huius de Typhaone carminis inter se ratione videat lector quae Usenerus et v. Mess in Museo Rhenano LVI, 167 scripserunt.

conferantur Theogoniae versus

886—7 *Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρώτην ἄλοχον θέτο Μῆτιν*
πλεῖστα θεῶν τε ἰδυῖαν ἰδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
921 *λοισθατάτην δ' Ἥρην θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν*
(991 *νηοπόλον νύχιον ποιήσατο δαίμονα δῖον*)

cum v. 315

ἡ πᾶσιν μακάρεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν,

Theogon. v. 449

πᾶσι μετ' ἀθανάτοισι τετίμηται γεράεσσιν,

cum v. 334

κέκλυτε νῦν μοι, Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν

Theogon. v. 644

κέκλυτέ μευ, Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα

et 702

αὔτως, ὡς εἰ Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε
(qui ipse ex *Γ* 97 et *ε* 184 conflatus est),

cum v. 335

Τιτῆνες τε θεοί, τοὶ ὑπὸ χθονὶ ναιετάουσιν

Theog. v. 648

Τιτῆνές τε θεοὶ καὶ ὅσοι Κρόνου ἐκγενόμεσθα

et 717

Τιτῆνας, καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης

et 729

ἔνθα θεοὶ Τιτῆνες ὑπὸ ψόφωι ἠερόεντι,

cum 340—1

ὣς ἄρα φωνήσασ' ἵμασσε χθόνα χειρὶ παχείηι.
κινήθη δ' ἄρα γαῖα φερέσβιος

Theogon. v. 857—8

αὐτὰρ ἐπειδή μιν δάμασεν πληγῇσιν ἱμάσσας,
ἤριπε γυιωθείς, στονάχιζε δὲ γαῖα πελώρη

et v. 692—3

χειρὸς ἀπὸ στιβαρῆς . . . .
. . . . ἀμφὶ δὲ γαῖα φερέσβιος ἐσμαράγιζε

(neque enim invenitur *φερέσβιος* apud Homerum),

cum v. 343

ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν

Theogon. 562

ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα κτλ.,

formula ab Homero aliena,

cum v. 351

ἡ δ' ἔτεκ' οὔτε θεοῖς ἐναλίγκιον οὔτε βροτοῖσιν

Theogon. 295—6

ἡ δ' ἔτεκ' ἄλλο πέλωρον ἀμήχανον οὐδὲ ἐοικὸς
θνητοῖς ἀνθρώποις οὐδ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Caput IV.

De Hymno in Apollinem Delphinium.

Neminem qui prooemia nostra legit fugere potest, cum per totum carmen usurpationes Homericae satis crebrae sint, praecipue tamen in extrema parte inde a versu 388 maiorem in modum versus et integros et dimidiatos ex Iliade et Odyssea desumptos abundare, imo tantulis intervallis singulos sese excipere, ut fere centonis Homerici haec pars instar sit. Quae res Windischio, qui quod sciam primus Homeri imitationibus his in prooemiis accuratius indagandis curam adhibuit, argumento erat, partem postremam Hymni Pythici Ruhnkeniani a rhapsodo quodam alio originem traxisse. Huic sententiae prorsus adstipulor. Nam hymni Pythici prima in parte, i. e. in versibus 179—304 et 356—387, CLVIII numero, versus homericos quinque integros, quadraginta sex dimidiatos, at in postrema

parte, i. e. versibus 388—546, CLIX numero, versus homericos duodetriginta integros vel paullum mutatos, septuaginta octo dimidiatos inveni. Omnes hos locos in altero huius dissertationis capite composui, quod amplissimi ordinis philosophorum concessu alio loco prodibit.

Quales sint dicendi consuetudinis notae propriae et peculiares eius qui hymnum Pythium composuit, supra demonstrare conatus sum. Imprimis larga imitatio prooemii Delii; accedunt sermonis genus concitatum atque abruptum, quod cum de Apolline agitur, iam personam tertiam, iam secundam poetarum lyricorum more adhibet; oratio per formulas *ἔνθεν* et *ἐνθάδε* vel *ἐνθάδε δή* in enuntiata brevia consecta; versuum repetitiones crebrae, notationes locorum vel historiarum vel antiquitatum, ut exempli gratia, de Thebis 295—8, de Onchesto 230—8, de Crisa 278—280, de Ergini filiis 296—7. Et ubi de Thebis et de Crisa agit, meo quidem iudicio, *ἀρχαΐζει* poeta, hoc est, rerum condicionem antiquam nec iam exsistentem describit, eo scilicet consilio ut locorum mutationibus in longinquitate temporis post templum Pythium conditum demonstratis Apollinis laudes clariores faciat.

At si quis illos versus legerit qui Apollinem sacerdotes sibi quaerentem et Pythum ducentem describunt, has notas, exceptis quidem repetitionibus, prorsus desiderabit. Vestigia imitationis prooemii Delii[1]) desunt; sermo tranquillus est, neque unquam sub secunda persona Apollo compellatur, nisi in orationibus vel colloquiis. Plurimarum urbium mentio fit, neque unquam de antiquitatibus agitur, praeterquam quod Taenari oves Solis pasci dicuntur. Quod autem ad repetitiones attinet, aliter res sese habet. Repetitur versus 398 *ἐς Πύλον ἠμαθόεντα κτλ.* v. 424, et vv. 478—9

ἀλλ' ἐνθάδε πίονα νηὸν
ἕξετ' ἐμὸν πολλοῖσι τετιμένοι ἀνθρώποισι

---

[1]) Nam versus 538 hemistichium posterius *δέχεσθε δὲ φῦλ' ἀνθρώπων* non ex v. 161 *θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων* defluxit sed ex γ 282 *ἐκαίνυτο φῦλ' ἀνθρώπων*. Praeterea iam in versu 537 clausulam eandem invenimus *περικλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων*, quam tribus versibus interiectis clausula excipit, *καταθνητῶν ἀνθρώπων*, unde denuo cognoscimus verborum copiam et varietatem rhapsodo illi praesto non fuisse.

in versibus 521—3[1]) denuo se offerunt hac forma:

ἔμελλεν
οἰκήσειν πολλοῖσι τετιμένος ἀνθρώποισιν·
δεῖξε δ' ἄγων ἄδυτον ζάθεον καὶ πίονα νηόν.

Sed alioqui repetitiones versuum singulorum, quibus prooemium Pythium tantopere abundat, non inveniuntur.

Versus quidem 503—523 sententias et fere ipsas voces versuum antecedentium 487—492, 497, 499, 500, 501 referunt, sed ita ut id fere consilium poetae fuisse videatur, ut quam plurimis formulis paucis versibus comprehensis eandem rem primum iussam tum gestam, verbis modo iisdem modo homonymis, exprimat. Et versus tot et tanta ex Iliadis *A* furta exhibent, ut Hinrichius totum locum pro exemplo poetae Iliadis habuerit.

Cum igitur prooemii imitationes Delii sint nullae, tres certe locos mihi invenisse videor in quibus poeta versus Pythio prooemio desumptos usurpavit. Nam versum 250

ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν

imitatur v. 432

ὅστε διὲκ Πελοπόννησον πίειραν ἐέργει,

ut etiam v. 430

ἀλλ' ὅτε δὴ Πελοπόννησον παρενίσσετο πᾶσαν

legitur *Πελοπόννησον* eadem in sede; quod nomen ab Homero alienum esse nemo est qui ignoret. Porro versum 490 ex 384 pendere credo; nam ne *καὶ βωμὸν ποιήσασθαι* quidem Homericum est.

Nec mera imitatione contentus, contaminat, ni fallor, poeta alio in loco sex versus prioris prooemii. Videlicet ex versibus

182—3 εἶσι δὲ φορμίζων Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
φόρμιγγι γλαφυρῇ

---

[1]) Iam v. 482—3
ἀλλ' ἐνθάδε πίονα νηὸν
ἕξετ' ἐμὸν πᾶσιν μάλα τίμιον ἀνθρώποισιν
eandem sententiam paullo variatis verbis repetiit.

184—5 ἄμβροτα εἵματ' ἔχων τεθυωμένα· τοῖο δε φ ό ρ μ ι γ ξ
χρυσέου ὑπὸ πλήκτρου καναχὴν ἔχει ἱμερόεσσαν

201—2 παίζουσ'· αὐτὰρ ὁ Φοῖβος Ἀπόλλων ἐ γ κ ι θ α ρ ί ζ ε ι
κ α λ ὰ κ α ὶ ὕ ψ ι β ι β ὰ ς

hi novi versus nascuntur 514—6

ἦρχε δ' ἄρα σφιν ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων,
φόρμιγγ' ἐν χείρεσσιν ἔχων ἐρατὸν κιθαρίζων,
καλὰ καὶ ὕψι βιβάς.

Et iam supra (pag. 24) vidimus eisdem Pythici Hymni versibus etiam poetam Hymni XXVII in Dianam usum esse.

Quod autem ut illic de Telphusii, ita hic de Delphinii ἐπικλήσεως origine agitur, id ad communem utriusque partis originem probandam minime valet. Nam et hymnorum in Venerem (198) et Panem (47) rhapsodi, ne de Homero et Hesiodo dicam, similiter etymologiis gaudent. Et valde mirum esset eundem rhapsodum, cum de templo condendo ageret, sex versibus omni ornatu nudis rem perfecisse, cum de sacerdotibus inducendis, tanta copia orationis ἐπιφανείας et miracula Apollinis Cretenses et Crisaeos perterrentis enarasse.

Accedit quod partis postremae, quam dehinc prooemium Delphinium vocabo, argumentum prorsus ab eius consilio abhorret qui de templo condendo egit; versibus 214—215 consilium illud enuntiatum est: ὑμνήσω, inquit,

ὡς τὸ πρῶτον χρηστήριον ἀνθρώποισιν
ζητεύων κατὰ γαῖαν ἔβης, ἑκατηβόλ' Ἄπολλον,

quod propositum versibus 214—304, 355—387 perpetravit. Neve quis dicat eodem iure etiam omnes illos de Telphussa versus tanquam non ad templum conditum pertinentes prooemio Pythio abiudicari posse, id quod fecit summus Hermannus. Nam illa de Telphussa pars arctissime cum reliquo de templo Pythio Hymno congruit, qua excisa omnis fabulae structura de dracaena et de nomine Pythio necessarie in se collaberetur.

Iam ut finem disserendi faciam, breviter ac summatim quae differentia inter Prooemium Pythium et Delphinium Prooemium intercedat dicam. Pythius rhapsodus narrare volebat, ut per terram deus iter faceret, locum templo idoneum quae-

reret, templum conderet. Nulla est in hymno mentio maris naviumque; fraudes numinum, monstrorum pericula deo sunt superanda. De dicendi generis ingenio atque indole iam supra disserui. At versu 388 velim animadvertat lector novum propositum expresse significari, et id verbis, quae dum formulam *Πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ* (390) ex prooemii Pythii exordio *πρὸς Πυθὼ πετρήεσσαν* (183) repetunt, consulto exordium illud in mentem revocare videntur. Atque inde ex versu 388 longe alium sese ostendit Apollo. Non iam per terras errat, nec iam inimicos devincat necesse est, sed prodigiis, miraculis, portentis ex insula Creta sacerdotes ducit, res futuras praesagit. Nihil enim causae est mea quidem sententia, cur versus prophetiam continentes a reliquo prooemio Delphinio abiudicare debeamus. An mirum est miraculorum religionisque tam studiosum poetam deum Pythium oraculum edentem facere? Quamquam minime nego fieri potuisse, ut ultimi septem versus inde a 540 post Bellum Sacrum quod vocatur adderentur, ut nonnulli ex v. 542 collegerunt. Quod cum nec probari nec refutari possit, in medio relinquere malo.

Allenius Sikesiusque sane hymnum Pythium, quo nomine omnes versus 179—546 (305—55 exceptis) comprehendunt, ideo ante Bellum Sacrum scriptum esse arbitrantur, quod cum plerisque omnibus criticis ex versibus 262 seq. poetam agona hippicum Pythiorum nondum cognovisse sumunt, quem constat post bellum illud anno ante Christum natum DLXXXVI (Olympiade in quadragesima septima) ab Amphictionibus institutum esse. Sed ut hoc recte ex illis versibus collexerint, quid obstat quin poetam illum qui omnes inde a 388 versus addidit, Delphinii dico hymni auctorem, post Bellum Sacrum vixisse statuamus?

Conclusio.

De universo in Apollinem Hymno igitur iudico: Constat hymnus qui vocatur Apollinis ex carminibus quattuor, ex quibus primum deum in Olympum intrantem depingit, cetera tria partum dei, Delphorum origines, sacerdotum ex Creta

evocationem ita narrant ut sequens historia semper praecedentem historiam continuet. Haec carmina a rhapsodo quodam et suis et aliorum additamentis amplificata uno libro comprehensa sunt, non ut unum integrumque poema vel conclusam congruamque historiam efficerent (ut in hymni Mercurium partibus diversis neque unitas desideratur neque, si ad universum spectas, consensus), sed ut singulae partes sibi praesto essent, ad eligendum coniungendum contrahendum mutandum prout tempus locus occasio postulare viderentur. Fac eum Deli recitavisse, versus 1—18 declamabat, aut, si longius temporis spatium tribuebatur v. 1—178, sed 14—18 omissis, fac Mileti, etiam 140—178 omittebat, sed addebat v. 179—181, fac Delphis, aut versui 19 statim 207—299, 356—387 adnectebat aut exordii versibus 2—13 novum exordium, versus dico 182—206, substituebat, Delphinio hymno modo addito modo omisso. Accuratius singularum harum rhapsodiarum ambitum haec tabula docet:

I. Hymnus in Apollinem Delium brevior his constat versibus.

vv. 1—13	Apollo Arcitenens in Olympum intrans.
14—18	*χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοῖ* quae clausula in quinta demum et novissima Hymni formula recurrit cum v. 546.

II. Hymnus in Apollinem Delium longior.

vv. 1—13	
19—25	*πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω* . . . . *Λητὼ τέκε χάρμα βροτοῖσιν*
29	*ἔνθεν ἀπορνύμενος κτλ.* post hunc versum lacuna hiat. Cur Latonae errandum esset, narratum erat. Ita iam Wolfius, Hermannus, Schneidewinus statuerunt.
30—178	Catalogus insularum, natus Apollinis, insulae Delii laudes et puellarum Deliacarum.
(545—6)	Clausula.

Hunc hymnum antiquiorem esse quam priorem, supra ostendi. Ex illo versus 14—18 deprompti sunt.

III. Hymnus in Apollinem Pythium.

v. 1—3	
vv. [179—181]	eorum versuum locum occupaverunt qui olim exordium erant.
182—206	qui versibus 2—13 prooemii Delii respondent.
207	= 19 repetitus
208—213	vitiosi trunci fortasse insiticii, tamen responsionem quandam ad 20—24 efficiunt et locum versuum 25—29 occupaverunt.
214—215	versui 25 respondentes.
216—304	*Πιερίην μὴν πρῶτον κτλ.* Recte Baumeisterus animadvertit, *παραλληλισμόν* quem vocant quendam exsistere inter hanc locorum ab Apolline examinatorum enumerationem et catalogum insularum.
[305—355]	Episodium de Typhone interpolatum.
356—387	
(545—6)	Clausula.

IV. Hymnus in Apollinem Delphinium ex III oriundus eum continuat.

vv. 388—522	*καὶ τότε δὴ κατὰ θυμὸν ἐφράζετο Φοῖβος Ἀπόλλων | οὕστινας ἀνθρώπους.*
524—544	Preces Cretensium et prophetia et minae Apollinis.
545—546	Clausula.

Denique quo melius quae inter hymnorum Deliorum et hymni Pythii prooemia intercedat ratio perspiciatur, ipsos versus adponam.

A. Prooemium Delium.

1 *Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο,*
ὅντε θεοὶ κατὰ δῶμα Διὸς τρομέουσιν ἰόντα
καί ῥά τ' ἀναΐσσουσιν ἐπισχεδὸν ἐρχομένοιο